

h. 62, 27.

x 2002 905

11



ILLUSTRE
AD SALAM AUGUSTEUM
DOLORIS SUI,

super

Amarâ distractione, & plusquam febili discidio
FELICISSIMI QVONDAM CONJUGII
SERENISSIMORUM FUNDATORUM,

LEVAMEN,

IN

AUSPICATISSIMIS NUPTIIS
SERENISSIMORUM PRINCIPUM
DN. JOHANNIS ADOLPHI,

ET

DN. JOHANNÆ MAGDALENÆ,
Ducum Saxonix, Julix, Clivix & Montium &c. &c.
reperum,

cum votivâ acclamatione

&

LECTIONUM PUBLICARUM

denuò ordiendarum intimatione

AD DIEM XXIII. NOVEMBRIS

M DC LXXI.

Solenniter omnium sensibus defigit.

LEUCOPETRÆ,

Excudebat CHRISTIAN Zildebrandt.



12



Seneca Epist. i.

VIndica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serua! Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima jactura est, quæ per negligentiam venit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabatur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus,



Vemadmodum perpetua temporum vicissitudo est: ita res, quæ in tempore procreantur, hoc proprium habent; permanere ad perpetuitatem haut possunt, nec sine fine florere, sed solvuntur tandem, &

Subito casu, cum valere, ruunt.

Recedamus paulisper à nobis ipsis! Suspiciamus cœlum, augustum illud regum Regis palatium, in numeris stellis, splendore, magnitudine, & virtute præstantibus, superbum! Despiciamus terram, tot herbis, floribus, arboribusque vestitam, & veluti piam ac sedulam matrem exerto & pleno ubere sexcentos animantium greges nutrientem! Consideremus circumfusi aëris regionem, tot avium agmina foventem! Introspeciamus prægnantem aquarum uterum, & ludentes ibi foetus, magnitudine mirabiles, multitudine verò inæstimabiles, speculemur! Num in his quidquam reperire licet, quod à corruptione vindicare se, & in æternitatem asserere possit? Nihil ubique est, quod diu ex se & constanter ætatem ferat. Nam montes etiam, quamvis altitudine insignes, & eximis terræ visceribus paulatim surgentes, vetustate excisos, & decursu temporis sedibus suis evulsos, & vel in planiciem dejectos, vel patentibus campis æquatos esse, accepimus, & vidimus oculis nostris, Quin
ipsum

ipsum cœlum cum tellure igni servari, & haustum aliquando iri Scriptura luculenter asseverat. Et tantum abest, ut hominum genus hâc sorte exemptum sit, ut, propter admissum in Creatorem læsæ majestatis crimen, experiri eam cum primis necesse habeat. Quorsum hæc spectent, exponendum paucis. Annus jam quartus & vicesimus absolvitur, ex quo Reverendissimus & Serenissimus Princeps DN. AUGUSTUS, Primas Germaniæ & Postulatus Administrator Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensis, Dux item Saxonie, Julie, Clivie & Montium &c. Dominus noster ac Nutricius Clementissimus IX. Calendas Decembris absolutissimam illam divinarum virtutum imaginem, Serenissimam Principem ANNAM MARIAM, natam Ducissam Mecklenburgensem, & è Regiâ Obotritarum profapiâ oriundam, splendidissimis nuptiis sibi junxit: quibus si vota nostra, si preces & suspiria perpetuitatem conciliare potuissent, nihil prorsus fuisset, quod jure in illis desiderasses. Nam præter eximiam fecunditatem tantâ jucunditate, & animorum conjunctione notabiles fuisse, ut de Serenissimis Conjugibus illud Poëtæ usurpare liceat:

Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed, quod dolendum, & nullis lacrymis deplorandum satis, mors fato propera hæc arctissima amoris vincula biennio abhinc solvit, & Serenissimam Principem, humanis exemptam, è thalamo in tumulū deportandi necessitatem nobis imposuit. Ingens hinc altumq; vulnus & Serenissimo Pectori superstiti, & nostris animis illatum. Dolebamus enim meritò, atque etiamnum lugemus, Saxonico Nomini eas delicias ereptas esse,

esse, quarum possessio multum commodabat tranquillitati nostræ. Erat enim AUGUSTA nostra plusquam materno affectu in subditos suos; quippe quos non ut subiectos, sed ut gnatos sinu Clementiæ suæ fovebat. Erat eadem ex omni pulcherrimarum virtutum ingenio collecta perfectio, quæ exemplo suo multorum prolicuit probitatem. Nam cives ingenium Principis suæ admirantes, mores suos ad hoc quæsitum innocentiae & sanctimoniae exemplar fingere summis studiis incumbabant. Atque hinc factum, ut fatis concedens tantum reportaverit publici desiderii, quantum reliquit exempli. Scio, nec fallor, esse in his terris non paucos, qui, si dono edendorum miraculorum instructi essent, & defunctos possent è sepulchris in vitam revocare, primum id aucturi sint, ut beatos manes DIVÆ nostræ maestissimi Principis amplexui, nostrisque votis reddant. Ita pietas, ita humanitas, & cæteræ incomparabiles sanctissimæ illius Animæ dotes animos nostros ceperunt, ut exuere memoriam ejus nullatenus queamus, nec luctui nostro ponere modum. In præsens tamen non parùm mœstitiam nostram solatur novus ille corporis animique vigor, quo Serenissimi Vidui sacro sanctam caniciem induit indulgentissima DEI dextera. Hujus enim salus & incolumitas (quam constantem, firmam ac perpetuam devotâ mente precamur) de publicâ & nostrâ felicitate benè sperare nos nunquam non jubet.

Accedit & aliud levamen, quod dolori nostro attulit *Connubiale Fœdus*, pridem bonis alitibus initum, & sub finem proximè superioris mensis maximo & regio prorsus apparatu à Serenissimis Principibus,

A 3

DN.

DN. JOHANNE ADOLPHO & DN. JOHANNA MAGDALENA: Ducibus Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Montium, Landgraviis Thuringiae, Marchionibus Misniae & utriusque Lusatiae, Comitibus in Marcâ, Ravensburgo & Barby, Dynastis in Ravensstein, &c. Principibus ac Dominis nostris benignissimis, consummatum. Hic quippe Torus, fide & pietate munitus, id recipiendum in se promittit; nobis, quod in soluto conjugio Serenissimorum Fundatorum amissimus. Eo sanguine Neogami nostri editi sunt, & ab iis parentibus educati, uti nec religionis verae, nec regionis Saxonicae, vel quae huic unita est, Thuringicae, curam abjicere possint. Et quia sine literarum gloriae Rempublicam neque florere neque consistere diu posse non ignorant, quin studia nostra gratioso, sereno sibi quae proprio vultu respecturi sint, non est quod dubitemus. Exequamur modo graviter, quod nostrarum partium est, & assiduis precibus aeternum Numen fatigemus, ut Serenissimos Conjuges protegat, ut Thalamum eorum fecundet, fecundet, ut Thronum eorum firmet, ut Valetudinem in solido semper seruet, & de nostris annis illis augeat annos. Conclamemus: **CONCORDITER vivant! FELICITER vivant! AETERNUM vivant!** Vivant ex Voto suo, nostro! ut nos etiam sub eorum auspiciis vivamus pie, juste, beate.

Sed hunc gratantem nostrum ac gratulabundum animum *Collega noster*, cui inter alias functiones provincia Latialis eloqvii propagandi demandata est, eâ facundia, quâ valet plurimum, copiosius interpretabitur: cujus studium ut animorum linguarumque favore juvent Fautores literarum, & qui Serenissimis
Con-

Conjugibus sunt devoti, non est quod rogemus prolixè; cum sponte id, vel ex officio, facturos esse persuasum habeamus. Nihil ergo restat, nisi ut publicum indicem laborum nostrorum, sive Lectionum cum publicarum, tum privatarum, quæ ex decreto Serenissimi Fundatoris nostri hoc tempore ordinandæ denuò, & Auditoribus intimandæ sunt, appendamus.

Quod felix faustumque esse jubeat, & in publicum Ecclesiæ incrementum benè evenire finat DEUS!

S. S. Theologiæ Professor

Satis amplum CURSUS DIDACTICI, aliàs POSITIVI, Æquor expertus, nihilque omittere ratus, quod exponendo enuntiari ad Animos Fidei & Salutis amantes oportet, emetiri hætenus non potuit. Omnes recensuit enucleavitque Articulos, & qui I. ad PRINCIPIA TUM COGNOSCENDI, TUM ESSENDI, SCRIPTURAM SACRAM nempe & DEUM; & qui II. ad OBJECTUM THEOLOGIÆ, HOMINEM puta, *in miseria* constitutum, cujus tamen *status primus*, à quo delapsus est, non negligi debet,

bet, respiciunt ac recurrunt. FINEM quoque, III. RESTAURATIONEM scilicet & REPARATIONEM HUMANI GENERIS, qui adficiunt, non reliquit superstites aut intactos; sed nō nisi i. in ordine ad ACQUISITIONEM, per Redemptionem à Christo factam: proculdubiō profundissimam non minus, quam saluberrimam CHRISTOLOGIAM.

Nunc in eo est, ut cum Articulorum fontem aperiat, unde FINIS, RESTAURATIO & REPARATIO HUMANI GENERIS, 2. in ordine ad APPLICATIONEM, quæ in *Vocatione, Conversione, Justificatione, & aliis* fit, redundat.

Tandem IV. de MEDIIS laborabit, quæ ad Finem ducunt, tum EX PARTE DEI, ubi *Verbum & Sacramenta*, tum EX PARTE HOMINIS, ubi *Fides* relucet. Unde Articuli reliqui sponte suâ adlabuntur.

EXEGETICUS, Oratoriæ Ecclesiasticæ substratus, & in Auditorio & in Templo Augusteo, ne vel animo unquam, vel ori concionandi quicquam desit, unde irrigetur & reficiat.

ciatur, fusò quidem lumine & flumine cœli-
tùs, unus idemque, perennis fluit.

Insistere, hærere, ac immorari oportet: nec
simul transvolare omnia; sed per gradus de a-
lio transire in aliud, donec, duce Deò, totum
fuerimus emensi.

JURISPRUDENTIÆ PROFESSOR

Institutiones Imperiales cum Aphorismis
denuò incipiet, & fundamenta Juris probè
inculcare Auditoribus suis allaborabit. In
quem finem singulis Martis, Jovis, & Satur-
ni diebus ab hora octava matutina ad nonam
Lectiones suas instituet, dabitque operam, ne
ullum cœpti laboris conceptaque de Præ-
ceptore suo spei possit pœnitere. Quod si
tempus supererit, aut Auditorum diligentia
excitaverit magis Doctoris studium, petenti-
bus privata quoque Collegia disputatoria aut
examinatoria non denegabit.

ELIAS LUJA, Medicinæ

Doctor & P. P.

Spartam, quam à Serenissimo Principe suo
B nu-

nuper accepit, ornare sedulam navabit operam. Quo ordine verò, & quibus diebus Medicinæ præcepta traditurus sit, publicè significabit, quamprimum ex itinere suo (eius suscipiendi necessitatem Illustris cujusdam Personæ literæ & preces imposuere) reversus fuerit, & Orationem inauguralem habuerit.

IN HUMANIORIBUS AC PHILOSOPHICIS:

CASPAR ESAIAS Siegfriedt
RECTOR,

Ordinariè:

Die 3. hora 8^va & Die 4. hor. 7^ma Logicam Prückneri denuo exorsurus ita tradet, ut post brevem & perspicuam terminorum explicationem, usus & exercitium artis illius potius respiciatur, quàm Auditorū studia sterilibus Scholasticorum quæstionibus diu detineantur, aut ingenia tenuia adhuc confundantur. Hunc in finem *περισσότερον* potius futurò, quem Deus fortunet, annò, quàm *ἀσυνείκητον* experientur Auditores.

Die 7. Horâ 7^ma Metaphysicam Prückneri, cùm Processus disputandi hætenus fundamenta jecerit, eaque quæstionibus nonnullis in calamum dictatis incluserit; imposterum continuo eâ methodò tractabit, quâ coepit, ita, ut difficiliiores quæ-

quæstiones satis ventilatas dictatis complectatur,
usumque tam necessariæ disciplinæ in omnibus
superioribus monstret Disciplinis.

Hunc in finem, ut audita eo firmiter Auditorum,
in hæreant animis, & ingenia acuantur; sin-
gula septimana, quantum per alia exercitia Ora-
toria, hoc etiam potissimum tempore instituen-
da, licebit.

Die 2. horis, finitis sacris, matutinis Exercitia Di-
sputatoria Logica, Metaphysica, Hermeneuti-
ca, aliquando etiam Physica adornabit.

Die 5. hora 7^{mâ} Hermeneuticam Dannhaueri eâ,
quâ cœpit, continuabit methodo, ita tamen, ut
interdum tam Sacri quam profani Textus alter-
natim in Ebræis, Græcis, Latinis in Tabula,
scripti interpretandi, & præceptis Dannhaueri
applicandi proponantur.

Extraordinariè & privatos intra
parietes:

Collegium Physicum in Sperlingii Synopsis
Lectorio-Disputatorium adornabit, Auditoribus et-
iam in illo jucundissimo & summè necessario studio
operam suam gratificaturus.

M. JOACHIM LEISTENIUS,
Historiarum & Mathematicum P.P.

DIn 2. & 3. horâ IX. *Historiam Sacram* cum Veteris,
tum Novi Testamenti ita tractabit, uti non solum

res gestæ, veràm etiam rerum gestarum tempo-
ra Auditoribus innotescant, & simul illustriores
controversiæ in Historicis & Chronologicis ac-
curatè decidantur. Qui labor, Deo conatus pro-
sperante, uti multum SS. Theologiæ Cultori-
bus commodaturus; ita Auditorum frequentiam
& assiduitate juvandus erit.

Die 5. horâ IX. *Scientiam Numerorum*, methodicè à se
digestam, & publicè olim prælectam, denuò
aggredietur, notis & exemplis eam illustraturus
& viam, quâ ad *Uranis delubrum* eatur, monstra-
turus.

Die 7. horâ IIX. *Sphæricam D. Finckii* explicabit;
additionibus suis industriam Auditorum juva-
bit & apparentem coeli imaginem ope Sphære
Armillaris, & solidæ, five Arateæ repræsen-
tabit.

Die 7. & 8. horâ I. pomeridianâ telam, quam in
Geographicis jam exorsus est, pertexere studebit
& peragrata Africâ in Novum Orbem, in
quantum is cognitus est, trajiciet, memoratu-
rus cujuslibet soli læta & tristia, prospera & ad-
versa, quæ de fidâ navigantium & peregrinan-
tium manu accepimus.

Privatim verò, præter *Sideralem Scientiam collegium
Geometricum*, post Æquinoctium Vernum, aperiet,
& canones quoque, resolutionem triangulorum tam
Sphæricorum, quam planorum, seu rectilineorum
spectantes, explicabit provecioribus, si copiam sui
fecerint.

M, CHRI-

M. CHRISTOPHORUS FIBIGER,
Latinarum & Græcarum Littera-
rum Prof.

Die 3. hor. 2. C. *Plinii Cæciliæ Secundi* Virorum Elo-
quentissimi EPISTOLAS illustrabit, daturus in
id præcipuè operam, ut ne deficient locupletan-
dæ Styli elegantia, si comparare sibi Eruditæ La-
tinitatis Studiosi velint, præsidia.

Diebus 3. & 4. eâdem horâ pertexere sustinebit, quam
in Lib. 4. *Orationum Livianarum* telam exordietur
propediem.

Die 4. hor. 9. methodo, quâ hætenus usus, MAT-
THÆUM,

Die autem 5. hor. 2. ISOCRATEM continuabit.

Privatim geminum aperit Collegium; alterum *Gra-
jum, Latiale* alterum. In illo συντόμος ad *Græcam Lin-
guam* Auditores ducet: In hoc sive CURTIUM sive
SUETONIUM sive alium enucleabit Historicum.

M. CHRISTOPHORUS CELLARIUS,
Ebr. Ling. & Ethic. Prof. P.

In Ebraicis

Die 3. hora I. & 4. horâ X. *Schickardi Regulas* Tironi-
bus præleget, earumque usum ex *quinta Psalmorum*
Decade ostendet, quam ita ex *Kimchiano* potissi-
mum *Commentario* exponet, ut neque Profectio-
nes hujus operæ poenitere possit.

B 3

Die

Die 5. horâ II X. *Usum* hæctenus, quem *Ebraismus*
Theologiæ confert, Provec̃toribus proposuit;
Nunc *Philologia Sacræ Compendium* declarare incepit,
cui novam *Accentuationis doctrinam* ex recentium
Auctorum sententiâ subjiciet, quâ finitâ ad su-
pra dictum *Ebraismi Usum* se denuò accinget.

In Ethicis

Die 7. & 8. hora X. *Iteri Compendium* compendiosè ita
explicabit, ut alia quoque ad *Moralem doctrinam*
necessaria non negligentur, sed in calamum
publicè dictata *ordinariis Disputationibus* exami-
nentur.

Privatim

Cùm ad Ebræam Linguam, tùm ad aliarum O-
rientalium Harmonicam notitiam manu fidelissimè
ducet.

M. CHRISTIANUS Weise / Politices
Eloquentiæ & Poëseos Professor.

Die 7. 8. 7. & 7. hor. III. explicabit Politicam, &
cùm satis claræ ex Cellarii Tabulis sint definitio-
nes & divisiones; exempla etiam ex Hornii Orbe
Politico proposita non deficient, propiùs ad ipsam
accedet Prudentiam, potioresq̃ve actionum Politi-
carum regulas brevibus comprehendet axiomatibus.
Et id quidem provec̃torum gratiâ. Tirones si qui
sunt, privatim audient, quæ Cl. Thomafius in Tabu-
lis suis Politicis ordinavit.

Die 8. hor. I. & 4. hor. IX. *Usum figurarum*
Rhe-

Rhetoricarum exemplis tam in soluto quam in ligato sermone imitandis exhibebit. His ad finem perductis Orationum ac Carminum explicationes alterabit.

Privatim & præcepta Rhetorica succinctis complectetur tabulis, & imitationis modum non vulgarem in Mureto ostendet.

Ordinariis Disputationibus d. 2. Politicas, sed potissimum Rhetoricas quæstiones ventilabit.

AGite ergo ô NOSTRI! & vos vindicate vobis! h. e. sedulo & serio cogitate, quid deceat ordinem vestrum, quid officio vestro congruat. Versamur hic in foro literario, in illustri ingenuarum artium emporio. Nos variarum mercium titulos, h. e. operarum nostrarum elenchum publicavimus: Vestrum est eligere, colligere, coemere, non multo ære, sed industriâ, & animorum attentione. Non fugit laborem impiger mercator, non operæ parcit inhians lucro animus, sed auri argentiqve cupiditate ductus, in remotissimas Indiarum partes excurrit, parvi faciens cœli injurias, latronum insidias, & intumescentium fluctuum sævitiam. Imitamini

ni

QX Xa 4347
ni horum solertiam, & diligentiam vestram
nobis probate. Ut ferveat studium nostrum,
nunquam committite, ut frigeat, aut tepcat
vestrum. Cogitate arcta spatia vitæ huma-
næ, & dum vires anniqve sinunt, artes, quæ
nunquam ediscuntur, discere accelerate.
Excitet diligentiam vestram *castissimus isq; ar-*
dentissimus amor conjugalis, qui thalamum Sere-
nissimorum FUNDATORUM hujus *Augu-*
stæi nobilitavit. Nimirum ut horum pecto-
ra mutuo amore ita coaluere, ut omnibus ef-
sent admirationi: Ita literarum studium in-
dissolubili vinculo animos vestros sibi jun-
ctos semper teneat. Quod reliquum est, de-
votâ mente veneramur & obtestamur pro-
pitium Numen, ut docentium discantium-
qve conatus prosperare, & omnia, quæ o-
tium nostrum literarium turbare possunt,
longissimè à nobis avertere
dignetur.



h. 62, 27.

x 2002 9

ILLU
AD SALAM
DOLC

Amarâ distractione, &
FELICISSIMI QV
SERENISSIMORU

LEVA

AUSPICATIS
SERENISSIMO

DN. JOHANN

DN. JOHANN

Ducum Saxonix, Juliae,
repe

cum votiv

LECTIONUM

denuò ordiend

AD DIEM XX

M D

Solenniter omni

LEUC

Excudebat C H R

a
347

STÄDTIS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHEK
POMICKAVIANA

